

DE PUBLICO  
ET ANNUALI CONGRESSU


I N T E R

DIVERSOS IMPERII MAGISTRATUS

E T

JUVENTUTIS INSTITUTORES,  
ORATIO.





Reg. N. pl. 130608

DE PUBLICO  
ET ANNUALI CONGRESSU  
INTER  
DIVERSOS IMPERII MAGISTRATUS  
ET  
JUVENTUTIS INSTITUTORES,  
ORATIO;

*AUCTORE SAINT-JEAN, Lycæi Tolosani  
Professore, nec non uno ex quadraginta  
Ludorum floralium Academiæ sociis.*


---

T O L O S A E ,

E Typis J. nis-M. <sup>xi</sup> DOULADOURE, Typographi et Bibliopolæ,  
in vico Sancti Romani.

1808.





---

---

DE PUBLICO  
ET ANNUALI CONGRESSU  
INTER  
DIVERSOS IMPERII MAGISTRATUS  
ET JUVENTUTIS INSTITUTORES.  
ORATIO.

---

SI levium hominum sermonibus fides sit adhibenda , horum si perpendatur opinio , hice litterarii cœtus , quibus scholaris inchoatur annus , nihil aliud redolent , quàm inanem vanitatis fucum , ementitam doctrinæ ostentationem , quà , sibimetipsi potius , quàm bonarum artium utilitati blandiens orator , tantummodo in publicum prodit , ut à se contextis caput redimiat coronis .

Sapientum eruditorumque hominum longè alia mens est : solemne illud commercium , inter Imperii Magistratus et ingenii morumque informatores , multò præstantiorem habet finem : inflammandis æmulationis ignibus

A 3



inservit; parentum fiduciam conciliat, Alumnorum studium et amorem erga Magistros commovet; venerationem et grati animi sensum in summæ auctoritatis administros, singulis commendat civibus.

Quæ cùm ita sint, et de hoc annuali congressu tam diversa sit opinio, illius necessitudinem et commodum explanare, pro viribus, sum aggressus..... Ardua saltem matres, et periculosæ plenum opus aleæ! Sed si vestrâ sublever indulgentiâ; si benevolentî animo, disserentem me, prosequamini, hocce curriculum prosperè emensus, non ingenii, sed felicis audaciæ palmam, haud ingloriùs, adipiscar.

Favebitis, ut spero, omnium ordinum auditores selectissimi, si vos allicit argumenti novitas; si vos tangit liberalium artium gloria, Alumnorum amor, Præceptorum sollicitudo, Magistratum reverentia.

NEMINEM sanè inveneris , qui , Atticam quorumlibet ingeniorum feracissimam fuisse, inficiatur. Dùm cæteræ Græciæ regiones turpi et longo torpebant veterno , ipsa scientiæ, litterarum , artiumque monumentis claruit insignita. Ingenii palmam multò citius tamen fuisset adepta , si , inter Areopagitas et Institutores , vera et constans extitisset concordia ; sed , in philosophiæ Philosophorumque dedecus ! tantus in diversis amor sui vigebat ethices magistris , ut , spretâ Senatûs admonitione , omnes Lycæi aditus intercludere maluerint , quàm in conspectum vigilantiæ Magistratum se permittere.....

Quinimò eò cæcitatis et injustitiæ devenabant , ut ab Archonte , qui artem politicam et moralem mutuo et concordi nexu constrin gere voluerat , poenas repetere non erubuerint.

Tenebris obvolutum delituisset ingenium , in genuinâ artium patriâ , nisi Theophrastes et Chrisippus , Anaxagoras et Aristoteles , fuissent coacti , doctrinæ præcepta evolvere , intra undequaque apertas portici ædes , et

coram Areopagitis , censurā et inquisitione  
eorum lectiones aggressuris.

Si in Imperio intestinis conflictato discordiis , æterno auctoritatum conflictu agitato , licentiæ facibus accenso , istæ , inter rerum publicarum præfectos , non existant relationes , nihil est saltem quod demirer : occulta diversarum partium agendi ratio earum asseverat existentiam ; solemnes illarum congressus bonâ fide elucere nequeunt , nec ingenuitate adornari ; vererentur meritò , ne , si minùs ad res suas attenderent , suam patefactarent mentem ; et sibi amplius non liceret adversariis fraudulenter et tacitè insidiari .

In firmâ verò Imperii constitutione , variorum potestatum correlatio , diversa publicorum hominum officia , constanti debent affinitate connecti . Hisce geometriæ figuris admodum consimiles , quarum radii , etsi diversimodè ordinati ad idem centrum indesinenter convergunt , rerum publicarum administrî , ad eumdem finem debent semper protendere , mutuas res peragere consilio , sapientiâ ingenioque sibi invicem prodesse .

Jam retrò illa effugere tempora , quibus

annualis scholarum instauratio, vanus et puerilis tantummodo erat apparatus, quo, ille qui verba facturus accedebat, nulli audiendum saltem credibilis, virtutes quibus non erat ipse credulus, summis audacter laudibus efferebat; vigilantiamque, palam per ostentum effusam, verborum ampullam, praedicare non verebatur....

Haud idem erit in posterum. Diebus festis, Minervae Apollinique sacratis, elucebit vera cognitionum mutuatio, pellucida de impletis officiis explanatio, æqualis et firma charitas, constans et vigil animi sensus. Si ad ædificandum *Ephesi* inclytum Dianæ templum, Regum totiusque Asiæ populorum necessariæ fuerint opes, ad extruendam scientiis liberalibusque artibus aram, ubertim publicorum hominum sufficiet consensus.

Quid sibi vult illa Magistratum festinatio, in *Lycaeana* Musis instaurandâ æde? Nonne ut Tectosagum posteris notum sit eorum sollicitudinem officiorum non intercludi parietibus, sed super ea, quæ Imperii commodis gloriæque possunt inservire, eam perpetuò diffundi? Nonne istâ agendi ratione patet,

ipsos pro certò habere potestatem regentium minoris esse ponderis , nisi auctoritate eorum sublevetur , quibus à patriâ commissum munus ingenii vim acuendi , mores informandi , dotesque à naturâ profusè hominibus impertitas , ad communem flectendi utilitatem.

Opinionem publicam ad sua accersere munia ; principiorum institutionumque rationem palàm referre ; suum ergâ hujusce Imperii Ducem et præfectos ardens profiteri studium ; suam reserare æmulationem ; sua ostentare vota... hoc Lycæi Tolosani antecesorum munus et oblectamentum.

Veneranda sanè ab augusto Gallorum Imperatore , commissa nobis officia ! juvenes ad morum , doctrinæ pietatisque normam informare ; hos flores Favonii halitu benignè recreatos à nefando Aquilonum tueri impetu , ut fructus in præsens ferant illibatos , atque in posterūm spondeant uberrimos ; ambitiosos ingenii motus compescere ; errabundos in rectum dirigere imaginationis saltus ; vitia ad imum eradicare , nec leniter defricando fovere ; mentem virtuti , humanitati , patriæ-

que sensim ac fortiter addicere..... hinc nobis  
merces , hinc nobis gloria ; hoc laboris sola-  
tium et levamen.

Sed neminem vestrum latet , auditores  
ornatissimi , quonam studio , quibusnam curis  
haec nobis sint comparanda : etsi magna offi-  
ciorum nostrorum , cuiquam vel minimè at-  
tendenti , nota sit utilitas ; quamvis perpetuæ  
et semper renascenti operæ simus addicti ;  
quamquam nobis sit excolendus ager , vel  
rastros et vomeres detrectans , aut impensæ  
et sudorum in partem , proventu suo , venire  
non valens , sola benefacti superest delectatio.

Jocorum nugarumque corcula blandè titil-  
lantium , magis quam scientiæ appetens est  
juvenileis ætas ; nunquam , nisi invita , nostris  
assidet cuneis , scientiarumque et moralis doc-  
trinæ imbuitur præceptis : nostrum insomne  
studium , constantes nisus , perennis charitas ,  
**vix leves** attingunt animos : dum assiduis , ex  
officio , nos teneri laboribus arbitrantur , quo-  
modò sacrificia et sudores pensi haberent  
Alumni ?

At saltem si parentes , de Præceptorum be-  
neficiis erga se et patriam certiores facti ,

eorum curis paternam permiscerent sollicitudinem ! Pertinax et improbus levaretur ipsorum labor. Sed , in contemptum imperati à natura officii ! liberorum institutionem nostræ penitus credunt solertiæ ; nullum nobiscum suave et amicum fovent commercium. Pueros in lucem edidisse satis reputantes , informandi homines simul et cives , demandare nobis officium haud ipsos pudet : *strutio-cameli* (1) instar , quæ , ut Poetæ fabulantur , maternæ charitatis expers , in sterili ova abjicit arenâ , radiis tantum fovenda solaribus ; et prolis in posterum obliterata , ad alios amores regionesque transvolat.

Hoc publicorum hominum munus benevolentia et existimatione nostrum ferè labantem levandi animum : ad gloriam utilitatemque litterarum et doctrinæ , satis non fecisse arbitratus est *Pericles* , inclyta Philosophis unâ cum Rhetoribus posuisse templa , eos magnis è Reipublicæ ærario donasse præmiis ; sæpè-sæpius eorum præerat lectionibus , ut

(1) L'autruche ; on parle de la femelle , et l'on a cru devoir lui donner le genre féminin.

imperitos , obtrectatores et sophistas suo retunderet conspectu.

Eadem incuria , eadem ferè dicam injus-  
titia Imperii manet administros. Invidiâ et  
malignitate semper lacessiti , quæ felle et  
absynthio turgentes et imbutæ , adversùs opes  
et potestatem simul indignantur ; quæ nulla  
esse inter homines insignia , nullas præclaras  
dotes , nullam virtutem eximiam summoperè  
peroptarent , ut , ex adverso , parata non  
esset exprobratio ; invidia et malignitas ,  
dicam , publicorum hominum consiliis den-  
sam infundunt caliginem , eorum facta *se-  
cenninis* onerant conviciis , illorum laudes et  
reverentiam deterere perfas et nefas eni-  
tuntur.

Sed illa quotannis revertuntur tempora ,  
quibus nobis datum , hanc genuinam humani  
generis , in Magistratum vindictam , pro-  
terere pestem ; in eorum regimen et hosmet-  
ipsos omnium civium existimationem , reve-  
rentiam , gratumque animum allicere , vel  
potius imperare .

Ad aures eorum qui de gloria et commodo  
Imperii nullatenus laborant , aut quorum

sinistra suspicio de hominibus publicis animum occupat, assiduè nostra personabit vox. Utrosque conjunctim compellemus, et discentem tem vobis apprimè necessariam non esse fluxam et instabilem, sed firmam et constantem, quæ nec minis, nec laboribus, nec periculis infringatur; vos indesinenter teneri occultis et versutis astutiæ et cupiditatis ob sistere artibus; pupillorum, viduarumque venire obsidio; populi vota ad Principem mandare, Principis jura populo denuntiare; suaves sanguinis et amicitiæ motus compenscere; animæ vestræ semper invigilare, ut voluptates, quæ homines sensibus additos cruciant et torquent, illius intimum nunquam attingant, aut, præ admiratione et reverentiâ, ante fores obstupescant: haud parùm *Herculi* absimiles, qui recepto ab *Atlante* mundum humeris gestandi munere, nunquam exindè colum tractavit; et sibimetipsi semper invigilans, in vitæ decursu, parem se officio præstitit.

Dùm conatus laboresque nostros inspec turi, solemnî pompâ, templum istud adi bitis: dùm explorandi mens erit, an,

declinando à viâ quæ Alumnos in eo collocat statu , quo cuncta obliviousi summoperè cu- piebat Cartesius (1) , ut de integro omnia perdisceret , juvenum mentem artibus bonis inbuimus , potius quām tumefecimus , *ut ait Montanius* ; vobis certò scire dabitur , ingenium dirigendo , mentem informando , in illorum animum nobilem patriæ amorem , legum obedientiam , admirationem reveren- tiamque erga hujusce Imperii Ducem penitus infigere , nos perpetuò studuisse ; nostramque præsertim adhibuisse curam , illorum pectus sensim religionis incurvandi jugo , quod leve et amoenum virtuti , æneum et ada- mantinum sceleri reputatur.

Isti profectò animi sensus , juvenes aman- tissimi , vestris facilè infixi hærebunt cordi- bus ; hos ob illorum sollicitudinem hominibus publicis rependere debetis ; amor studium copiosè absolvet . Videte quantalætitiam , quantâ animi alacritate hujusce Lycæi fores adaperire properârunt . Dùm multo jam elapso tempore , in plurimis Imperii finibus , hæc vigeret institutio , Tectosagum civitatem , benigno

---

(1) Le Philosophe Descartes.

istius affectu orbatam , diutiū non poterant perpeti. Supremum Imperii Ducem precibus et votis constanter laccessiverunt : illius inflexere oculos in regionem , quam , propter ingentem incolarum copiam , soli ubertatem , clementiam aeris , nativam civium in artes ingenuas propensionem , majorum gloriæ haud imparem esse decebat. Magistratum votis annuit Imperator munificus ; grande istud beneficium eorum curis sollicitudinique tributum.

Quām utilis simul et augusta publicorum hominum juventutisque institutorum solemnis illa aggregatio ! Firmus et constans erit tandem institutioni modus : ad sublimia protendet , ille è politicis convulsionibus opinionumque fermentis enatus vigor , illa ex innumeris Gallorum triumphis enata virtus. Mutua inter eos vigebit æmulatio , ut , qui scientiæ litterisque officiunt , disturbent et perdant obices. Conversa signa bipartitò simul inferent , ut præceptionis publicæ hostes infensissimi timore perculti , ad sinceros iustitiæ animos deveniant , aut saltem , præ pudore , obmutescant.

Quæcumque sit detrectatorum virulentia ,  
 hæc à *Napoleone magno* recens decreta im-  
 perialis Academia (1) , nefandos eorum com-  
 pescet motus. Contra absolutam numeris om-  
 nibus societatem , cognitionumque omnium  
 diversa complectentem genera , illidentur  
 frangenturque vooferationes , quibus jam-  
 pridem vigentes juventutis palestræ , usque  
 ad *nauseam* , insectantur. Illa erit centrum ,  
 ad quod radii , in varias Imperii partes effusi ,  
 indesinenter progredientur , ut undequaque  
 idem et perenne diffundatur lumen.

Et quid ad scientiæ litterarumque diffusio-  
 nem non spondet clarissimus Musarum Sa-  
 cerdos (2) , hujus institutionis Præses? Vir  
 quantum eminentissimus dignitate , tantum  
 ingenio excellentissimus ; qui , quâ urbanitate  
 in colloquiis , quâ eloquentiâ in Academiis ,  
 quâ dexteritate in pactionibus versatus est ;  
 eâ sagacitate in controversiis , eâ rationum  
 pondere in judiciis , eâ sermonis , cuius as-  
 sidui comites hilaritas Musarumque lepos ,  
 pollet elegantia.

(1) L'Université impériale.

(2) M. de Fontanes , Grand-maitre de l'Université.

Illa demum evanescet injusta diuturnaque opinio , quæ è publicis pretiosissimam juventutis partem arcebat scholis , perindè ac si juvenilis ætas peculiare non esset patriæ dominium ; si juris illius in infantium mentem prima messis socialis immittere germina... apud Persas , legum vigilantiæ commissa juvēnum institutio . Fluxis tantummodò sexdecim annis , paternâ erat licitum uti potestate ; usque ad hoc tempus , à Principe electis remuneratisque Institutoribus , civium erat credita progenies : quinimò ad Imperii munia non ullus accedebat , nisi in diversis hujuscè Gymnasiī exercitationibus claruisset.

Utinam , apud nos , hoc vigeret institutum ! sed si nostræ adhuc obsistant mores , si quid paternæ imbecillitati sit concedendum , hoc saltem supremæ auctoritatis officium parentes præmonendi , ut à maleferiatâ vitiligitorum turbâ , dente *Theonino* (1) cuncta corroden-  
tium , caveant ; qui , naturæ virium æstimatores parcissimi , ingeniique humani angustioribus sui cerebelli limitibus demetientes , vix aliud

(1) Théon , satyrique très-virulent. Voyez Horace.

susplicantur perfectionis genus, quām cui hactenū assueverunt; quibus antiquus sufficit error, ut eam tueantur latiusque disseminent; qui credulo et rudi blandiuntur populo, ut illius benevolentiam simul et assensnm aucupentur.

Aderunt homines publici, qui suum veritati jus referentes, illatum juventutis Instituto-ribus damnum resarciant. Horum sanè omnium animos mutuo utilitatis connectere illicio, singulos inter homines concordiaē fraternitatisque nexus constringere; auxiliari tandem hominibus, quibus mitis et placida ambitio, labores operosi, perenne studium; quique civibus suis beneficia assiduè impertiuntur... Publicæ existimationi, quam sedulò foveamus, ardenter studere, insolentis non est indicium superbiæ, sed erga nosmetipsos æquitatis et justitiæ promerita expectatio.

Sacra parentum venerando et colendo jura, in utilem patriæ et Imperio finem sunt dirigenda; politico et civili impulsu ad veros accomodosque promovenda usus: corpora dispari modo existentia, et mutuâ affinitate

orbata , solis attractionis legibus , ad perfectam nusquam devenirent adhæsionem ; extera autem et amica admoveatur vis ! cohærentia inter se , junctaque simul brevi et usque aspectantur.

Hâc dulci et jamdiù expectatâ liceat nobis immorari imagine : super laboris aculeos et spinas , suaves et salutiferos jamjam diffundit flosculos.

Hæc levis est adumbratio , auditores selectissimi , quâ , publicum et annuale congressum , inter varios Imperii Præfectos et juventutis Moderatores , delibare leviterque perstringere , pro tenuitate meâ , eram aggressus . Utinam minutula verba , quæ è tam sublimi perutilique exprompsi argumento , vestris infixa remaneant cordibus ! Utinam erga felicitatis publicæ Procuratores et Administros , reverentiam et amorem commovere , hujusque civitatis incolas ad serotinam potuerim adducere justitiam ! Non pœniteret me incompositos et debiles vocis meæ emisisse sonos .

Quod ad nos attinet , auditores ornatosimi , de ministerii nostri excellentiâ certiores

facti ; haud ignari patriam præstantissimum nobis commisisse munus , sincerum et cons-  
tans adhibemus studium , ut illius spes non sit elusa , ut irritum non sit ejus desiderium.

Juvenilem ætatem Graiorum addicere ser-  
moni , in quo suum unaquæque natura sonum retinet proprium et incorruptum ; cujus tanta mollities , ut in cujusque rei formas quasi cereus transeat ; qui liquido et perenni tractu profluens , multis ab hinc retrò seculis , vel asperrimas molli susurro demulcet aures...

Romanorum linguam Alumnos edocere , quæ inops primùm ac tenuis , è græco fonte multa adeò peritè , adeò parcè deprompsit , ut ferè nihil externum retineat ; et in solutâ oratione non suboleat furti significatio : in quâ , apud Horatium et Maronem , citharæ concinunt , crepitant arcus , aspirant zephiri , aquilones sibilant , immurmurant rivi ; et collisi inter se torrentes , obluctantur hor-  
rendo cum fragore præcipites.....

Gallici præsertim idiomatis , ipsarum rerum magnitudini et ingenio abundè et amabi-  
liter respondentis , notitiam juvenibus lar-  
giri ; quod , etsi in universas terrarum plagas sit

diffusum , nihil ex contagione exhaurit peregrinum ; huic Elidis amni (1) haud absimile , qui occultam sibi , subter mare , faciens viam , aquarum suarum dulcedinem , nulla salsugine , inficit.....

Plantis tenerioribus informandis acriter al-laborare : eamdem adhibere curam hisce debilibus radiculis , quæ semper imbellem et infirmum vix ac ne vix quidem sustentabunt caulem , et illis valentibus sureulis , super quos cuncta omnis generis succressent germina , natali et propria latente cuiuslibet specie , aut propemodùm incertâ.....

Repuerascere cum pueris , cum infirmis rep-tare , gradi cum validis , cum robustioribus as-surgere ; blanda et severa tam ritè temperare , ut vel blandiendo reverentiam imperemus , vel objurgando amorem impetremus ; omnia de-nique virtutum genera , tam illecebrosè , tam suaviter insinuare , ut earum asperitas , non quidem dissimulata , sed amata dulcescat.....

---

(1) Alphée , fleuve d'Elide dans la Morée , ci-devant le Péloponèse , qui coule sous terre au travers de la mer Adriatique , et va se joindre à la fontaine d'Aréthuse en Sicile.

Hæc sunt officia quibus per me *Lycæani* se adstringunt antecessores.

Si tanto muneri obeundo nostræ deficiant vires, vobis notum saltem erit studium nostrum et æmulationem nunquàm posse ab assueto defervescere; nosque, invitis obicibus quibus scholaris aspergitur via, ad metam nihilominùs semper et animosè protendere; multùm Vestæ virginibus absimiles, quæ Senatui romano templi fores tantummodò reserabant, cum ignis sacer, viribus absumptis, supremas in aera emisisset flamas.



